4

# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

# RHEUMATISMO
# ACUTO ET CHRONICO

COMPLECTENS.

---

SAMUELE M'GAVIN Auctore.

---

## PRÆFANDA.

DEI, qui mundum creavit atque gubernat, mirabili artificio ita constitutus est homo, ut ad vivendum ubique terrarum in sanitate aptus sit. Nihilominus vero corpori insunt multa idemque ex-






[1820]

tra, quæ vitæ discrimen inferunt aut necem minitantur. Hæc non modo "firma adhuc valetudine," e fragili corporis constitutione, sed e rebus quoque externis pendent. Cœlum sub quo degimus, sive calidum, sive frigidum, morbos gignit sibi proprios. Sub ardente illius sole et roribus nocturnis, morbi regnant, qui e naturalibus functionibus admodum perturbatis præcipue oriuntur; dum in hoc nulli quam illi Phlegmasiarum sæpius adoriuntur. Qui Britanniam, igitur, habitant insulam, varias subeuntem temperiei mutationes, omnigenis obnoxii sunt inflammationibus, quas inter Rheumatismus interdum ita infestat, ut doloribus cruciantibus vitam ipsam, onus sæpius reddat maxime miserandam. De hoc malo, agere mihi in animo est, quod exequar minime novi sed brevitatis studiosus.

## DE DEFINITIONE.

Qui de Nosologia scripserunt, multi definitionem morbi, quisque sibi protulerunt; sed omnibus Cullenus, vir nusquam non venerandus, longe præstat. In duas species dividit, quarum alteram ita definit: "Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia, dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos infestans, calore externo auctus."

Hæc ita definita Rheumatismus tantum vocatur a Culleno, et ab aliis, Rheumatismus Acutus. Sed huic nomina varia imponuntur, secundum partes implicitas: si lumbi afficiuntur, Lumbago; si coxæ dolent, Ischias Rheumaticus; si pectoris musculi laborant, Pleurydine; necnon

Hemicrania nominatur, ubi afficiuntur capitis musculi. Hæ vero varietates eundem morbum designant, et in sede doloris tantum variant.

In altera specie, cui nomen imponitur Arthrodynia, his verbis utitur: "Post Rheumatismum, nisum violentum, vel subluxationem; dolores artuum vel musculorum sub motu præsertim, aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles, rigidi, facile et sæpe sponte frigescentes; pyrexia nulla; tumor plerumque nullus." Sub hac ab aliis scriptoribus denotatur Rheumatismus Chronicus.

De una alteraque singulatim tractare animus fert, quamvis ubi illa desinit, hæcve incipit, vix, aut ne vix quidem, percipiatur.

Singulæ species ad Classem Pyrexiarum, Ordinemque Phlegmasiarum referuntur; sed multum disputatum est, annon Arthrodynia,

ob Pyrexiæ defectum, recte apponatur? Res autem Culleno haud ignota est, qui in suo opere, notam subjecit, quam citare liceat. "Si, ut quidam statuunt, Rheumatismus Chronicus ab Acuto genere omnino diversus sit, nomen simplex, uti genus omne, habere oportet, et hujusmodi nec ineptum, ut puto, imposui. Porro, cum sequela rheumatismi acuti vel rheumatismi simpliciter dicendi, Rheumatismum Chronicum dictum semper habeo, et cum inter utrumque morbum sæpe limites vix statuendi sint, ideoque pro diverso genere rheumatismum chronicum recensere vix potui; Rheumatismus tamen Chronicus exquisitus ab Acuta natura adeo diversus evadit, et medelam adeo diversam exposcit, ut merito nomine prorsus diverso insigniri possit; et si quis pro genere etiam diverso ponere velit, per me profecto licet *."

---

* Cullen, Synop. Nosolog. p. 122.

## HISTORIA.

In autumno et vere, quam alia anni parte, frequentius incipere morbus observatur. In his enim temporibus procellæ sæviunt, plus variabile est cœlum. Nulli ætati parcit; sed juvenes, quam senes, sæpius invadit, a vigesimo ad trigesimum quintum annum usque. Temperamentum sanguineum illi, præcipue sub septentrionale regione, fundamentum jacit; aliter nihil confert.

Iisdem signis incipit ac aliæ inflammationes. Prægressis languore ac lassitudine, caput dolet, et inquietudinem æger sentit minimo frigore. Dolores vagi, hic illucque urgent; horrores ac rigores accedunt, quos calor subitus excipit febrem inducturus.

Sine his indiciis haud raro febris obrepit; interdum paucos dies perstat, ante morbi accessum. Hac ardente, augetur cordis actio, pulsus duri exiliunt, pectore agitato, æger difficulter spirat, facies turgescit, secretiones imminuuntur, quæ, ubi parcæ, haud paucas molestias inferunt. Calor enim intenditur corporis totius, fauces arescunt, lingua ac dentes sorde nigra obducuntur, et non fieri potest, quin ventriculus male se habeat. Inde anorexia ac nausea subsequuntur: sed memoria dignum est, minus in hoc morbo pertubari cibi appetitum, quam in aliis ejusdem generis. Æger conspectus est, ut in secunda valetudine, edere.

His perstantibus, dolores prius vagi, nunc unam alteramve corporis partem occupant, adeo maxime excruciant, ut lenissimus tactus, motusve tolerari vix queat. Neque unicam sedem diu tenent, sed locum sæpe mutant, musculorum tractum sequentes. Majores quam minores juncturas præcipue

infestant, et partes circa genua, coxam maxime dolent. Nocte, quam die, potius vexant, calore lecti augentur; et somnum prorsus tollunt, cum multa vigilia et inquietudine.

Quamvis ardeat febris, rarius sponte eliciuntur sudores, qui saltem in parte, aut parce erumpunt, neque partes dolentes humectant, quæ siccæ et aridæ fere semper manent. Partes ita affectæ, haud parum rubescunt, et intumescunt, quod cruciatum potius auget, quam ullum levaminis infert.

Per totum morbi decursum astricta fere semper invenitur alvus; cui subjiciantur sitis magna, calor intensus, et urina parca ac rubra, quæ sedimentum deponit. Sanguis, vena icta, crustam albam, corii instar, indicat, ut accidere solet inflammationibus. Rarius si unquam delirium supervenit, et æger inter maximos cruciatus, sui compos est.

Neque credendum est, partem semel affectam, secundi impetus futuram esse immunem, sed potius, me judice, magis obnoxiam. Ideoque observatum est, dolores eundem locum, bis, terve adoriri.

Pyrexia ultra unam alteramve hebdomadam rarius durat, neque tam gravibus signis semper urget ; sed mitior fit. Quamobrem mitiora quoque sunt signa, neque dolores tam acriter torquent, sed remediis cedunt, et ad sedem mutandum minus proclives sunt. Sin ardeat febris, dolores plus excruciant, neque una sede tenentur, sed unum alterumque locum iterum, iterumque adoriuntur.

Rarissime si unquam hic morbus in suppurationem desinit, sed haud infrequenter, idoneis remediis neglectis, ubi ægri vires exhauriuntur, et debilitas et macies inducuntur, arthrodyniam gignit ; de qua agere, proximum est consilium.

## DE ARTHRODYNIÆ SIGNIS.

Hæc fere semper est prioris morbi jam dicti sequela, sed nonnunquam sine illo præcedente accidere nota est. Dolores quibus incipit, "nulla pyrexia," mitiores sunt, neque acuti sed haud minus molestiæ inferunt. Humeros, lumbos, genua præsertim corripit, artusque illos quos magni musculi circumdant. Partes ita affectæ rigescunt, et debiles intumescunt, et lenissimo frigore dolent; sed calor molestiam tollit. Neque semper fixi manent dolores aliqua in parte, sed interdum sedem mutant, et semper sine febre. Interdum diutius sedendo superveniunt, sed modice ambulando abeunt, quiete redituri. Ubi humerus afficitur, æger manum sursum levare vix potest, sed circa illum, quasi pondus, sentit.

In hoc morbi genere, mutationes quas cœlum subit, dolores reducunt; qui maxime torquent, sæpissime tempus longum durant, neque remediis facile cedunt. Haud infrequenter imbecilli fiunt articuli, qui nonnunquam sentiendi ac movendi facultatem pariter amittunt.

Denique Arthrodynia sæpe in Anchylosin desinit, et in illis scrofula imbutis, Hydrarthrum interdum gignit.

## DE DIAGNOSI.

Magni momenti est morbos rite dignoscere, et medici peritia nulla in re plus patet, quam in diagnosin faciendo. Ex hac accurate perpensa, omne pendet auxilium quod ægris proponimus adferre. Ex hac re quoque periti scientia, ab illa imperiti, plane se ostendit.

Rheumatismus, signis ejus consideratis, ab aliis morbis facile dignosci potest; quippe qui rebus satis evidentibus indicatur. Nihilominus nonnulli sunt morbi quibus admodum consimilis est; ideoque confundi potest. Sunt Podagra, Syphilis, Pleuritis, Nephritis, et Scorbutus. De singulis, paucis in verbis dicendum erit.

I. Rheumatismus in multis rebus, Podagræ constat, sed quoque haud minime distat. Hæc sine causa evidente plerumque in provecta ætate, intemperantiæ deditos, ille in juventute florentes, potius corripit, ex evidente causa. In alio morbo majores artus, veluti genua, coxa et humerus; in alio, minimi articuli pedum, manuumve, præcipue laborant. Hi duo morbi, locum pariter mutant; sed in Podagra, ventriculus maxime dolet, dum in altero minime laborat. His rebus collatis, quis sit morbus, plane videmus.

II. Syphilis cum Rheumatismo, fere nihil ha-

bet commune. Diversi sunt morbi ex diversis causis orientes. In illo dolores, medias longorum ossium partes præcipue occupant, in hoc musculorum tractum sequuntur. Neque quod uni prodest, alterum juvat. Præterea bubones, faucium exulcerationes bene designant, et utriusque morbi ratio plane patet.

III. Quædam in Pleuritide, morbo, de quo agimus, similia sunt, et diagnosi haud bene perpensa, multum injuriæ illatum est. In hoc, cui quoque nomen imponitur Pleurydine, intercostales musculi afficiuntur, et tactu et pressu dolent, necnon dolores frequenter sedem mutant, hic illucque transeunt. In Pleuritide vero fixi sunt dolores in quadam interna thoracis parte, maximeque augentur inspirando aut tussiendo, sed haud premendo.

IV. Nephritis quadam in parte hunc morbum simulare potest, et alius cum alio confundi

potest. Utriusque autem comparando signa, quis sit morbus, quis non, in aprico est.

V. Rheumatismum a Scorbuto dignoscere facile est, et inexpertus errare vix potest. Hic enim adoritur; "in regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficiente simul materia vegetabili recente; asthenia; stomacace; in cute maculæ diversi colores, plerumque livescentes, præsertim ad pilorum radices *." Hinc quæ sunt alteri propria, alteri prorsus desunt.

## DE CAUSIS MORBI.

Duplicis generis sunt causæ quæ morbum inducunt. Unius, quæ proclivitatem ad morbos

* Cullen, Synop. Nosolog. p. 294.

faciunt, inde Prædisponentes nominantur. Hæ plerumque corpore insunt, aut sæpe extrinsecus primam originem ducunt. Alterius, quæ morbum excitant, hinc Excitantes appellantur; et vel intus vel extrinsecus oriri possunt. De singulis erit dicendum.

*Prædisponentes.*—Quodcunque ad plethoram gignendam conferat, prædisponere potest. Qui vitam in otio degunt, spiritu ardente plus justo utuntur, præcipue temperamenti sanguinei, in morbum facile incidere observantur. Juvenes præ senibus, viri præ fœminis, facilius afficiuntur. Præterea suppressæ evacuationes, veluti sanguinis missio, menses, hæmorrhoides ubi solitis temporibus non fluunt, morbo proclivitatem dant, diathesin phlogisticam gignendo. Scire juvat si morbus semel corripit, proclivitatem acquirit iterum corripiendi; et qui pro syphilidis curatione, nimio hydrargyri usu corpus suum debilitaverunt, eos morbi accessionibus fieri procliviores.

*Excitantes.*—Inter has, frigus corpori applicatum, post exercitationem immodicam, aut magnam defatigationem, primum tenet locum. Nihil vero citius excitat, aut vi majori pollet, quam hoc, præcipue si cum humiditate conjunctum sit. Hinc in autumni fine, aut veris ab initio, sed in hyeme præcipue, ubi Jupiter terram contristat gelu, pluviisque, morbus frequentius adoritur. Nullum autem anni tempus, in quo sub cœlo variabili induci non potest. Quicunque domum habitent cujus parietes sunt humidi, aut vestimenta madida induant, iisdemque dormiant, in morbum incidere, diu observatum est. Neque immunes sunt, qui domi vitam sedentariam degunt, et in diebus frigidis subito se exponunt, a frigore male defensi. Hoc probant CELSI monita, "Neque sine veste neque sine calceamentis prodire oportet, præcipueque diebus frigidioribus, neque sub divo nocte dormire, aut certe bene operiri."

## CAUSA PROXIMA.

De causæ proximæ natura multum scripserunt medici, sed " ejus notio generalis, si non prorsus falsa saltem confusa admodum est, et obscura, et temere a rebus abstracta: Quærunt enim, et, non facile invenientes, sibimet fingunt aliquid causæ omnes morbi, unde iste morbus oriatur, eodem fere modo ac variæ mutationes vel effectus, quæ in rebus inanimatis observantur, a suis causis proveniunt." De eorum conjecturis aut opinionibus nihil dicere oportet: has enim refellamus, qui parum in re medica versamur, niti minime decet. Attamen proferre licet, ex quare pendeat proxima causa hujus morbi judicamu Inflammari præcipue videntur ligamenta capsularia, aut bursæ mucosæ et fibræ musculosæ. Has partes corporis imprimis affici, fere omnia morbi signa testantur; et præterea hoc affirmant Cul-

LENI verba: "It is also an affection of these fibres which gives an opportunity to the propagation of pains from one joint to another, along the course of the muscles, and which pains are more severely felt in the extremities of the muscles terminating in the joints, because, beyond these, the oscillations are not propagated." Scire quoque juvat, hanc inflammationem, rarius, si unquam, in suppurationem desinere, quod ex morbi sede explicari potest.

## PROGNOSIS.

INEST huic morbo plus doloris, quam periculi; et rarius, si unquam, lethalis evadit. Siquando juvenem haud fractis viribus invadit, remediis idoneis tempestive adhibitis, fere semper cedit. Sin autem debiles, ab aliis morbis convalescentes, et provecta ætate, afficiat, haud raro eosdem ad-

modum angit, curatu difficilis, et vitam reddit miserandam; anchylosin aut rigiditatem artuum gignendo.

Nunquam lethalis evadit, nisi locum mutet, ut alii amant loqui, et aliquam vitalem partem adoriatur, veluti caput, aut cor; et tunc, quidam testantur hunc malum eventum.

## MEDENDI VIA.

In rationem medendi proponendo, memoria dignum est, ab antiquis, parum scientiæ in Rheumatismo curando disci queat, qui hunc ab aliis morbis dignoscere vix posse videntur. Hoc e scriptis illorum plane patet. His autem antecellunt hodierni, qui ejus sedem atque naturam melius intelligunt, et experientia didicerunt et morbum levare et tollere.

Duæ sunt species ut supradictum est, quarum una febrem ardentem cum maximis doloribus, alteraque nullam pyrexiam, sed artuum rigiditatem cum debilitate, indicant. Singulæ diversam postulant rationem medendi; ideoque separatim erit dicendum.

## CURATIO RHEUMATISMI.

Sub prima specie consilium est, pyrexiam et inflammationem tollere; et quodcunque ad unam, quoque ad alteram pariter valeat, bene notum est. Ad hoc potissimum spectat larga sanguinis missio, qua, si ab initio fieri potest, nihil præstat.

*Sanguinis Detractio.*—Nequaquam autem usurpari debet, donec ægrum debilitet, aut quamdiu alba sanguinis crusta se ostendat. In hoc modo enim tarde ad sanitatem æger redit, et non-

nunquam morbus chronicam formam induit, curatu difficilem. Ideoque ab ejus ætate, viribusque solum pendet. Si juniores ac robusti malo laborant, hoc sanguinis dispendium, quam seniores, melius tolerant: venam incidere utile est; sed ejus detractio primo fortasse ultra viginti uncias vix fieri debet. Hanc depletionem, rarius necessarium erit iterare, nisi pyrexia sæviat, et partes affectæ maxime doleant ac tumeant. Tunc iterum deplere, si robustum sit corpus, multum prodest, et nil mali infert. Ubi generalis sanguinis missio vix adhiberi potest, quasi nimis debilitando, hirudines partibus dolentibus applicatæ, præsertim si illæ tumescant, haud parum fructus inferunt. Cucurbitulæ cruentæ, si rite adhibeantur, pari modo ac hirudines agunt, atque æqualiter prosunt. Sed huic sanguinis missioni, haud semper confidere oportet, et alia multa auxilia attentionem rite vindicant, inter quæ sunt purgantia; quæ febrem ac inflammationem pariter tollere juvant.

*Purgantia.*—Inter hæc sales medii alvum satis solvere, quam acriora purgantia, melius spondent; quippe qui diathesin phlogisticam non modo amoveant, sed corpus quoque bene refrigerent. Ad eundem finem conferunt enemata, quæ, multi testantur, maxime prosint. Sin tales evacuationes, cordis actionem vix minuunt, tinctura Digitalis purpureæ rite adhibita opem intulit, ubi nihil aliud.

*Diaphoretica.*—Si universum per corpus libere fluat sudor, febre abeunte, multum boni ferunt, ideoque ad hoc medici summa ope nituntur. Inter hæc pulvis Opii et Ipecacuanhæ compositus vi satis pollet ad sudores eliciendos, cujus actio multum augetur diluentibus calidis, corpore laneis indusiis bene tecto. Eidem usui inservit Tartris Antimoniæ et Potassæ parvulis in dosibus. Hoc in modo ad viginti quatuor horas sudationis stadium producatur, optimo cum fructu.

*Epispastica,*—febre urgente vix adhiberi debent, sed ubi dolores uni parti manent fixi, tunc multum prosunt. Opium alii maxime laudant in morbo finem imponendo, sed id hanc vim alii negunt habere.

De modo vivendi, morbi curatio multum pendet, et regimen antiphlogisticum strictius adhiberetur. Quemcunque cibum, qui calefaciendi aut stimulandi vim habet, æger caute fugiat, et illum ex rebus vegetabilibus confectum, concoctu facilem sumat, bene refrigeraturum.

## CURATIO ARTHRODYNIÆ.

Sub hac specie artus dolent ac rigescunt, necnon frigescunt aut tumescunt, adeo ut movendi facultas ægro vix sit. Dolores autem frigore urgent, calore imminuuntur. Has molestias amo-

vere, medici est, et quod attentionem præsertim vindicat, balneum tepidum primo adhiberi debet. Si huic conjungitur frictio, multum boni est expectandum, et cujus usus, nuper et olim, magnis jure effertur laudibus, et ad rigiditatem tollendam maxime valet. CELSI verba ejus usum inter Romanos indicat: "Frictio cum omnibus in homine vertebris utilis sit, tum iis præcipue, quæ in collo sunt. Ergo die nocteque, interpositis tamen quibusdam temporibus, hoc remedio utendum est *." Lenis articulorum motus haud parum prodest, præcipue cum frictione conjunctus: et in fricando linimentum saponis cum opio, aut oleum camphoratum, nonnunquam juvat. Interdum aquæ bullientis vapores, opem inferunt, præcipue sub rigiditate. Ubi tumescunt artus et rigescunt, vesicatoria prope tumorem haud minus discutiunt, et haud infrequenter mobilem reddunt artum. Quod ad medicamenta interne usurpata

* CELS. Lib. iv. cap. 3.

pertinet, diaphoretica ac purgantia in usum veniunt. Quorum optimus est submurias hydrargyri cum oxido antimonii et phosphate calcis conjunctus, adeo ut alvum bene solvat, ac sudoris profusionem promoveat. Eidem rei inserviunt oleum terebinthinæ, aliaque balsamata. Tinctura Guaiaci officinalis invenitur utilis.

Ubi corporis vires collabuntur, omnia quæ roborant usurpanda. Ideoque cibus animalis, concoctu facilis, benc nutriens, equitatio, et exercitatio modica, præcipue in aëre puro et sicco.

Denique, galvanismo ac vi electrica quidam utuntur medici, qui optimos in morbi curatione invenerunt effectus.

FINIS.